HENRICI NORIS

Eremitæ Augustiniani

Ad suos Fratres Eremitanos Epistola gratulatoria Italicè manuscripta, & à quodam concellita latinè traducta, & publicata.

VT inaudiui de proscriptione Risbrochij non potui sine tripudio à gaudio temperare, cum vidissem præcipuum in eo mei operis de Historia Pelagiana, ac intestinum hostem penitùs esse prostratum. Itaque in animum meum induxi vobiscum mihi de palmari Victoria opportunè gratulari. Nostis, quis, & qualis sub illo nomine auctor delitesceret, qui cum in ore famæ versetur, deque Augustino, ac ordine nostro benemeritus habeatur metuendus quibusdam videri poterat. Magnam certè nobis aduocationem accommodarunt optimi Patroni nostri, quibus ingentes agendæ sunt gratiæ de patrocinio exhibito, quod nisi intercederet periculum erat ne hominis auctoritate obrueremur. Nunc tamen omnis abactus est metus, & nos magnum diem prolixæ, & importunæ controuersiæ gloriosè, ac feliciter imponimus. Quare cùm me magna teneret anxietas, & longa responsio à me adornari cæpta esset respiraui, & animum remisi, ac penè ab inchoata defensione resiliui. Etenim hæc inopinata, & planè salubris prohibitio omnem meam curam, &

A soli-

solicitudinem extinxit, & à scribendi fastidioso & improbo labore reuocauit. Luit ille suppositus auctor pœnas audaciæ suæ, & quæ in me machinamenta moliebatur in ejus caput redierunt, onere in se traducto sui defendendi. Damnato enim libro, eiusdem auctoris Doctrina damnata est, & mea absque dubio vindicata. Itaque nostræ sententiæ, quas ille dogmata appellauerat, quibusque nigrum theta affixerat, albis calculis, vno excepto Cardinalis Albizij, omnium Patrum vnanimi consensu conspirantium nota exemptæ sunt, innoxiæ, & probabiles declaratæ. In tuto est nostra doctrina, & ita sarta, tecta, vt à nemine deinceps possit sine iniuria sanctissimi illius senatus oppugnari. Vos igitur socij, quod semel dixi, magno clamore secuti plaudite, & epinicium modulamini. Neque fas est opponere; Risbrochium fuisse prohibitum propter nimiam mordacitatem, non autem propter peruersam doctrinam, nam hæc Causa sola satis non esset ad proscriptionem, cùm dicteria ista permittantur his qui scribunt contra hæreses, & errores, siue veri sint, siue tales existimentur, & apparet in Sanctis Patribus, in quorum ego sum lectione plusquam mediocriter versatus; vnde fit vt prohibitio cadat super doctrinam Risbrochij: dum enim sua vana obiecit, nostra recta impugnauit. Hinc est vt tota ratio proscriptionis ad prauam doctrinam Risbrochij reducatur, quæ in propositionibus meæ sanæ doctrinæ oppositis continetur. Solatio igitur mihi erit, & honori eas sigillatim recensere; vt omnibus ad oculum palam fiat meas esse innoxias, & probatas: eius vero contrà peruersas & improbatas, quod ex vtrarunque collatione constabit.

Pri-

Prima Propositio Risbrochij est. *Concupiscentia non est secundum suam naturam, & essentiam mala, sed secundum imperfectionem annexam.* Pag. 2. 3. & 6. & 33. Hæc est reprobata, quia mea contradictoria est absoluta, quæ huiusmodi est. *Euidens fit, concupiscentiam secundum propriam essentiam esse malam, non verò secundum imperfectionem annexam.* In Vind. c. 3. §. 2. per multas pag.

Secunda Risbrochij est. *Sanctus Augustinus non admisit suppositionem Manichæorum de concupiscentia secundum propriam essentiam mala, nec in eo sensu concessit Manichæis Deum esse laudandum, si cum ea hominem condidisset.* à Pag. 14. ad 39. *Hac est reprobata, & consequenter mea,* quæ talis est. *Sanctus Augustinus admisit Manichæis hypothesim de Concupiscentia secundum propriam essentiam mala, & in eo sensu concessit Manichæis Deum esse laudandum, si cum ea hominem condidisset.* In Vind. Aug. c. 3. §. 2. per multas pag. præsertim Pag. 32. 33. absoluta.

Tertia Risbrochij est. *Concupiscentia secundum propriam essentiam mala, non intenditur à Deo, prout est pæna, sicuti Mors. Pag. 56. 57. ad 61. Hac est reprobata, quia mea* tertia. *Concupiscentia secundum propriam essentiam mala prout est pæna intenditur à Deo, sicuti Mors. In Vind. pag. 34. est absoluta.*

Quarta Risbrochij est. *Peccatum originale ex Adamo traducitur per concubitum maris, & feminæ, etiam si non interueniret in hoc statu naturæ lapsæ concupiscentia in generando. Pag. 62. ad 68. Hac est reprobata, & consequenter approbata* mea quarta. *Nisi intercederet concupiscentia, quæ est causa incurrendi peccatum originale per simplicem concubitum maris, & feminæ non contraheretur peccatum. In Vind. Pag. 78.*

Quinta Risbrochij est. *In statu naturæ lapsæ datur adiutorium proximè sufficiens gratiæ omnibus, & sem-*

per adest in occasionibus præcepti vrgentis à Pag.74. ad *79. Hæc est reprobata, est ex consequenti mea* quinta. *In statu naturæ lapsæ non omnibus datur, nec præsto est adiutorium gratiæ sufficientis ad operandum vrgente præcepto. In Vind. pag.86. & 87. absoluta.*

Sexta Risbrochij est. *Gratia proximè sufficiens datur, & semper adest etiam nulla antecedente oratione in occasionibus seruandi præceptum.* Pag.107. & seq. *Hæc est reprobata, & consequenter approbata mea* sexta. *Non datur gratia proximè sufficiens, etiam in occasionibus seruandi præceptum nisi antecedat oratio actualis.* Pag.86.87.88. In vind.

Septima Risbrochij est. *Approbanda est sententia illorum qui dicunt: gratiam proximè sufficientem semper adesse quando lex obligat.* Pag.94. &c. Hæc est reprobata est: per consequens approbata mea septima. *Reijcienda est sententia illorum, qui dicunt gratiam sufficientem semper adesse cum lex obligat.* In vind.pag.88.

Octaua Risbrochij est. *Nunquam lex obligat sine auxilio præparato gratiæ proximè sufficientis.* pagin.94. &c. Hæc est reprobata, & ex consequenti approbata mea octaua, videlicet. *Lex obligat etiam si non adsit gratia proximè sufficiens.* Pag.88.

Nona Risbrochij est. *Fides potest mouere hominem ad petendum diuinum auxilium etiam antequam Deus infundat gratiam.* Pag.86. ad 94. Hæc est reprobata, & consectaneè mea nona approbata. *Fides non potest mouere hominem ad petendum diuinum auxilium, nisi Deus infundat gratiam.* In Vind. pag.89.

Decima Risbrochij est. *Multis non cogitantibus, nec petentibus, imò repugnantibus, & rebellibus datur à Deo gratia excitans, & vocans ad bene operandum.* Pag.107. vsque ad 123. Hæc est reproba-

tu

ta ac proinde mea decima approbata, nempe: *Nullis nisi volentibus, & petentibus per actualem orationem datur gratia, excitans & vocans ad bene operandum*. Pag. 86. 87. 88.

Vndecima Risbrochij est. *Non datur vllum tempus in quo vrgente precepto non habeat homo gratiam sufficienter adiuuantem ad obseruationem illius, vt semper habeat vires præsentes ad obseruandum, ne sit illi preceptum impossibile*. Pag. 194. ad 204. *Hæc est* reprobata, & mea contraria. *Homo antequam petat, & dum petit stat sub lege præcipiente & nondum habet gratiam sufficienter adiuuantem, nec potest facere quod iubetur & pro tunc est illi præceptum impossibile*. Pag. 88. absoluta.

Duodecima Risbrochij est. *Non solum gratiæ debili resistit voluntas, sed interdum etiam gratiæ forti, & vehementi*. Pag. 205. ad 209. Hæc est reprobata, mea verò. *Soli gratiæ debili nostra libertas resistit*. *absoluta*. Pag. 18. in Vind.

Tertiadecima Risbrochij. *Omne peccatum siue originale, siue actuale, quod est pœna peccati, est liberum & vitabile cum indifferentia sine necessitate*. Pagin. 243. ad 254. Hæc est reprobata, & consequenter mea. *Peccatum originale, & actuale quod est pœna peccati caret libertate indifferentiæ, & committitur cum necessitate*. Pag. 80. absoluta.

Quartadecima Risbrochij est. *Adamus in statu integro debuit orare Deum vt sibi daret vires ad mandata facienda, & posita tentatione non inaniter petijsset à Deo vires ad resistendum tentationi*. Pagin. 166. ad 274. Hæc est reprobata idcirco mea. *Adamus in statu integro non debuit orare Deum, vt sibi ministraret vires ad mandata facienda; & posita tentatione inaniter petijsset vires eidem resistendi*. in Vind. pag. 86. absoluta.

Decimaquinta Risbrochij est. *Non omnia opera infidelium sunt peccata.* Pag. 300. & 311. Hæc est reprobata, proindeque mea. *Omnia infidelium opera sunt peccata.* Pag. 43. & 90. absoluta.

Decimasexta Risbrochij est. *Non omne quod non est ex fide peccatum est.* Pag. 93. Hæc est reprobata: mea verò. *Omne quod non est ex fide peccatum est.* Pag. 114. ad 119. approbata.

Decimaseptima Risbrochij est. *Non fuit capitale dogma Massiliensium: comunem omnibus esse gratiam.* Pag. 143. vsque ad 149. Hæc est reprobata: contra tamen mea. *Capitale Massiliensium dogma fuit: communem omnibus esse gratiam.* Lib. 2. de Hist. Pel. pag. 246. absoluta.

Decimaoctaua Risbrochij est. *Homo iustificatus ex vi peccati originalis non incurrit priuationem potentiæ proximè expeditæ ad perseuerandum in semel accepta gratia sanctificante.* P. 231. Hæc est reprobata: mea, *Homo iustificatus in pœnam peccati originalis incurrit priuationem potentiæ proximè expeditæ ad perseuerandum in semel accepta gratia sanctificante.* In Vind. pag. 32. absoluta.

Decimanona Risbrochij est. *Non est Semipelagianus qui non sequitur sententiam Augustini de constituto Dei prædestinantis ad gloriam sine vlla præuisione meritorum.* Pag. 339. Hæc est reprobata; ex consequenti mea. *Semipelagianus est, qui non sequitur sententiam Augustini de constituto Dei prædestinantis ad gloriam sine vlla præuisione meritorum.* In Vind. Pag. 80. absoluta.

Vigesima Risbrochij est. *Potentia remota cum gratia remota non satis est ad merendum; & demerendum.* Pag. 274. ad 279. Hæc est reprobata: mea tamen *Satis est potentia remota cum gratia remota ad merendum, & demerendum.* in Vind. pag. 34. & pag. 98. absoluta.

Vigesi-

Vigesimaprima Risbrochii est. *Pueri decedentes in peccato originali puniuntur pœna ignis*. Pag.294. Hæc non est reprobata: contra verò mea. *Pueri decedentes in peccato originali puniuntur pœna ignis*. In Vind. pag.78. absoluta.

Vigesimasecunda Risbrochii est. *Peccatum originale non introducitur per corpus in Animam, sed Anima immediatè contrahit peccatum originale in coniunctione cum corpore*. Pag.295. Hæc est reprobata: mea hæc autem. *Peccatum originale introducitur per corpus in animam*. In Vind. pag.78. absoluta.

Vigesimatertia Risbrochii. *Papa Romanus, quà Episcopus Romanus, quà Patriarcha Romanus, quà Papa Romanus semper habet primatum*. Pag.171. ad 179. Hæc est reprobata. Propterea mea *Papa Romanus, quà Episcopus Romanus, quà Patriarcha Romanus non habet primatum super alios Episcopos, & Patriarchas*. Dissert de Synodo V. Pag.126. absoluta.

Vigesimaquarta Risbrochii est. *Non erat Imperatoris tempore Schismatis vocare Episcopos ad Concilium*. Pag.180. Hæc est reprobata. Contra mea. *Imperatoris erat tempore Schismatis vocare Episcopos ad Concilium*. Lib.1. de Hist. Pel. pag.98. absoluta.

Vigesimaquinta Risbrochii est. *Patres Africani sextæ Synodi non interdixerunt appellationibus ad Papam Romanum*. Pag.185. ad pag.193. Mea tamen *Patres sextæ Synodi Africanæ studio ambitionis interdixerunt appellationibus ad Papam Romanum*. Lib.1. Hist. Pel. pag.111.112. absoluta.

Vigesimasexta Risbrochii est. *Omne genus meriti naturalis, siue de condigno, siue de congruo respectu gratiæ supernaturalis, semper fuit prohibitum ab Ecclesia*. Pag.150. & 151. Hæc est reprobata,

qua propter mea. *Solum meritum naturale de condigno respectu gratiæ supernaturalis semper fuit prohibitum ab Ecclesia*. In Epist. Manuscripta missa Romam absoluta.

Vigesimaseptima Risbrochij est. *Semipelagianismus ante Concilium secundum Arausicanum fuit proscriptus ab Ecclesia*. Pag.323. vsque ad 328. Hæc est reprobata, & per consequens mea. *Semipelagianismus fuit permissus ab Ecclesia per seculum, & amplius, ante Concilium Arausicanum secundum*. Lib.2. Hist. Pel. cap.23. & in Vind. pag. 212. absoluta.

Vigesimaoctaua Risbrochij est. *Semipelagiani fuerunt in Pelagianis damnati*. Pag.329. vsque ad 341. Hæc est reprobata, mea tamen. *Semipelagiani non fuerunt damnati in Pelagianis in Epist.* missa Romam absoluta.

Vigesimanona Risbrochij est. *Sanctus Vincentius Lirinensis non fuit doctrina Semipelagianus*. Pag.165. Hæc est reprobata, mea consequenter: *Sanctus Vincentius Lirinensis fuit doctrina semipelagianus*. Lib.2. de Hist. Pel. pag.246. approbata.

Trigesima Risbrochij est. *Sanctus Vincentius Lirinensis non scripsit Commonitorium contra Sanctum Augustinum*. Pag.156. Hæc est reprobata, quia mea. *Sanctus Vincentius Lirinensis Scripsit Commonitorium contra Sanctum Augustinum*. Lib.2. de Hist. Pel. pag.246. absoluta.

Trigesimaprima Risbrochij. *Sanctus Vincentius Lirinensis fuit sectator Sancti Augustini non insectator, nec eius discipulos hæreticos appellauit*. Pag.156. & 157. Hæc est reprobata, & mea consequenter. *Sanctus Vincentius fuit insectator non sectator Augustini, ac eius Discipulos hæreticos appellauit*. Ibid. pag.247. absoluta.

Tri-

Trigesimasecunda Risbrochij est. *Sanctus Vincentius Lirinensis non est ille Auctor obiectionum Vincentianarum in quibus infamatur Augustinus*. Pag. 175. Hæc est reprobata, sed mea. *Sanctus Vincentius Lirinensis fuit ille auctor obiectionum Vincentianarum in quibus infamatur Augustinus*. In Vind. Aug. pag. 250. absoluta.

Trigesimatertia Risbrochij est. *Sanctus Vincentius Lirinensis non detorsit Epistolam Cælestini primi in laudem Semipelagianorum*. Pag. 157. Hæc est reprobata, & mea. *Sanctus Vincentius Lirinensis detorsit Epistolam Cœlestini in laudem Semipelagianorum*. In Vind. 248. absoluta.

Trigesimaquarta Risbrochij est. *Sanctus Hilarius Arelatensis fuit Discipulus Augustini, & non fuit Semipelagianus*. Pag. 157. & 568. Hæc est reprobata, mea verò. *Sanctus Hilarius Arelatensis non fuit Discipulus Augustini, & fuit Semipelagianus*. Lib. 2. de Hist. Pelag. pag. 166. 167. 170. absoluta.

Trigesimaquinta Risbrochij est. *Cardinalis Sadoletus non fuit Semipelagianus*. Pag. 157. contra verò mea. *Cardinalis Sodoletus fuit Semipelagianus*. In Vind. pagin. 149. vsque ad 153. absoluta.

Trigesimasexta Risbrochij. *Cardinalis Caietanus non contradicit Epistolæ Cœlestini primi*. Pag. 344. & 345. Hæc est reprobata, mea tamen. *Cardinalis Caietanus contradicit Epistolæ Cœlestini primi*, absoluta.

Trigesimaseptima Risbrochij est. *Cardinalis Baronius non errauit vltra centies tricies in sua Hist.* Pag. 347. & 344. Hæc est reprobata, mea verò *Cardinalis Baronius errauit Centies tricies, & sæpius in sua Hist.* Patet ex locis à me notatis, absoluta.

Tri-

Trigesimaoctaua Risbrochij est. *Papa Zosimus non errauit in publico iudicio absoluendo ad tempus Cœlestium hæreticum.* Pag.350. Hæc est reprobata: ex aduerso mea. *Papa Zosimus errauit in publico iudicio absoluendo ad tempus Cœlestium.* Lib.1. de Hist. Pel. pag.77.78. absoluta.

Trigesimanona Risbrochij est. *Hormisdas Papa rectè egit contra Maxentium.* Pag.352. & 353. Hæc est reprobata, illa autem mea, *Hormisdas Papa iniustè egit contra Maxentium.* lib.2. de Hist. Pelag. pag.302. & 309. absoluta.

Quadragesima Risbrochij est. *Papa Vigilius prudenter se gessit in Synodo quinta.* Pag.356. Hæc est reprobata, & consequenter mea. *Papa Vigilius imprudenter se gessit in Synodo* V. Dissert. de Synodo V. pag.78. absoluta.

Quadragesima prima Risbrochij est. *Doctores Scholastici, non sunt vituperandi, imò commendandi.* Pag.322. Hæc est reprobata, mea verò contraria. *Doctores Scholastici sunt reprehendendi, non commendandi.* In Vind. pag. 16.41.42. 50. 59. 68. 73.74. absoluta.

Quadragesimasecunda Risbrochij est. *In libro Henrici Noris multa sunt contradictiones.* Pag.358. & 362. Hæc est reprobata, & ex aduerso mea. *In libro Henrici Noris nulla sunt contradictiones.* quam ego nunc affirmo, & confirmo, vti absolutam, & approbandam.

Quadragesimatertia Risbrochij, *Henricus Noris in suo Tomo multas hæreses, & errores attribuit Sancto Augustino, eumque prauè cum Caluino, & alijs Hæreticis interpretatur.* Pag.288. vsque ad Pag.318. Mea opposita vera est. *Henricus Noris in suo Tomo nullas hæreses, nec errores Sancto Augustino attribuit, nec eum cum Caluino, & alijs hæreticis interpreta-*

pretatur. Hac mea est verissima; & approbanda.

Ad calcem animaduerto propter Lectorum religiosam scrupulositatem me non affirmare meas prædictas propositiones esse positiuè approbatas (quamquam mihi ita persuasum sit, qui veras prorsus esse existimo) sed saltem esse toleratas, & probabiles declaratas; & contrarias Risbrochij esse reprehensas, & vituperatas, siuè ob defectum veritatis, siuè ob excessum acerbitatis censuræ.

Ne verò turbetur quispiam si incurrat in aliquas propositiones quæ videntur damnatæ in Baio, iam enim in meo libro præoccupaui huiusmodi obiectionem excusando cum Patre Gabriele Vasquez, & Toleto huiusmodi propositiones ab omni censura. Consulat Lector Vind. Aug. c.4. §. 5. Pag. 115. vsque ad 119.

Atque de his hactenus. Quod supererat de notis ad Historiam, & Chronologiam pertinentibus omitto, quia sunt absurdę: hic enim Risbrochius hospes est in Historia, & Chronologia, & alias scientias primoribus tantum labris attigit. Non tamen inficias eo, bene rethoricari, & versificari.

Valete.